QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

DIE IOVIS XX. MENSIS DECEMBRIS,

M. IACOBO PERRELLO Doctore Medico Moderatore.

An à focorum situ febrium periodi? 743

VNIVERSI gubernatrix natura ordinē nisi coacta non deserit. Lucet ille sempiternus & immutabilis in cœlo ac elementis. Multiplices orbium cœlestium conuersiones, syderúmque antecessiones, statis distinguuntur periodis. Nulli sunt (si verum amamus) planetæ; omnes composito feruntur cursu, non vago aut incerto. Singulis suus est proprius motus, Lunæ menstruus, annuus Soli, diurno eique primo & communi neutiquam contrarius: Hic rectus sibique semper constans perpetuitatis causa est: ille obliquus & æquabiliter inæqualis, nunc generationis, nunc corruptionis auctor, annum reciprocà quatuor tempestatum successione ita temperat, vt vbique lumen, quemadmodum in plagis temperatis calorem, æquis vicibus diuidat. Nec alio afflatu cœlestium corporum vis in hæc inferiora deriuatur, quàm vtroque isto motu & lumine. Hinc ἅπας χρόνος καὶ βίος μεταδίδωσι περιόδων, πάντων γὰρ ἐστι πάλιν. Elementa suis gaudent legibus, ac veluti φυσικῇ φυσικεῖα. Periodicus est maris æstus semestris, mensurnus, diurnus: quin & decumanus fluctus, maior, periculosior. Plura in homine obseruantur certis adstricta temporum articulis. Conceptio, conformatio, partus, ætas; horarum, dierum, mensium, annorum septenarijs dispensantur. Nec abs re infames metuuntur illi Chaldæorum climacterici, vita ijsdem numeris oriente & occidente, non illis quidem agentibus, sed circumscripto naturæ impetu.

SI EST naturæ tenor, quem illa, vel oblæsa, mirabili constantiâ seruat. Arteriarum ἄρσιν καὶ θέσιν, etiam in arhythmis rhythmicam obseruant Medici musici. Morbi quoque suos habent circuitus, suaque temporum momenta, ac febres maximè, quæ ab humoribus excitatæ, aliarum more in corde, ceu primario subiecto, ipsius tum passione, tum actione, præter naturam accenduntur. Cuiusmodi ratione motus diuiduntur in summa duo genera, assiduarum, & intermittentium: in assiduis singularis isque perobscurus dierum κρισιμῶν ordo notatur: In intermittentibus, paroxysmorum, qui, etiamsi plures, vnicum tamen constituunt morbum. Illæ rursus sunt vel συνεχεῖς, vel σύνοχοι (inducto à recentioribus medicis nomine): Hæ triplicis sunt speciei; quotidianæ, tertianæ, quartanæ; nullæ quintanæ, septimanæ, nonanæ, exquisitæ. Singulæ vel simplices vel compositæ. Omnes homini ita familiares vt raro alia animantia ijs tententur, ne quem cum Archelao decipiat calidus caprarum halitus, aut cum Phile frequens Leonum fastidium. Hoc pretio emitur rationis & intellectus principatus, cuius gratiâ cerebrum homini amplissimum datum fuit (quæ maxima est & forte sola fabricæ humanæ à reliquis differentia) à quo plurimi spiritus affatim superditarentur: vnde longè maior quàm in brutis exigitur sanguinis copia cibique vbertas, & vasorum apparatus operosior; Ex quibus feruores, obstructiones, putredines, ac subinde febres creberrimè suscitantur. Nec aliunde fit solum animal menstruale mulier, quidni & lunare?

IN FEBRIBVS intermittentibus præ cæteris obseruantur periodi atque typi: Periodus est similis ratusque ad idem recursus, seu spatium ἐπιδόσεως & ἀνέσεως. Typus vtriusque ordo & proportio, nunc τριταῖος, nunc τετραταῖος, nunc ἑπταῖος. Hic mens stupet, quæ generationis excrementorū & excretionis causam ignorat. Frustrà Mathematicorum cœlum consulitur. Temerè materiæ febrili agendi ratio tribuitur. Febrem non periodum quotidianam pituita committit, sicut nec tertianam bilis flaua, aut quartanam nigra. Neque tam materiâ quàm loco istiusmodi febres, vt & plerique morbi, inter se differunt: Sed aliquando alter est locus in quo ipsa generatur, & alter in quo recipitur: huius potissimùm ratione intermittentes distinguuntur à continuis, eadem quippe stabulante materiâ extra vel intra vasa maiora: alterius in periodorum diuersitate potior esse debet consideratio, pro cuius nimirum diuerso situ distinctis temporum spatijs reparatur humor paroxysmum inducens. Quod si alteruter multiplex fuerit, tum febrium κρίσις ἢ ἐπίπλοκαι continget. Constat τοὺς ἀμφημερινοὺς, οὐδὲ χωρὶς τοῦ τὸ σῶμα τῆς καρδίας πεπονθέναι, συνίστασθαι, καθάπερ τοὺς τεταρταίους ἐπὶ σπληνὶ κακοπραγοῦντι, τοὺς δὲ τριταίους ἐπὶ ἥπατι. Inde prima mali labes. Ventriculus pituitæ fons & scatebra, hepar bilis, lien humoris nigri, tum propriarum febrium fomites existunt & foci, cùm aut propter ἀσθένειαν, aut relictum in ipsis, vel circumfusis partibus fermentum & περίτλωμα σπεδονοῦδες nouæ excrementorum generationi indulgent. Hinc bellum, induciæ, pax nulla.

ALIMENTVM corpori sua parit commoda & incommoda: illic vires, hîc morbum fouet, eique tam instaurando quàm generando materiam subministrat. Nec aliunde noua excrementi collectio repeti debet quàm ex alimenti appulsu, quod vbi debilitas subest, vel ἐμπύημα partis suscipientis, maiore sui portione corrumpitur, fitque exacerbationum atque accessionum causa continens: Ita vt distincta febrium interualla respondeant certis nutritiarum partium ceu focorum temporibus in eo attrahendo, retinendo, coquendo atque expellendo. Ventriculus tanquam in vestibulo corporis collocatus, primus horis ferè septem eiusmodi munia absoluit: Hepar præter obiectam superioris visceris moram, ob angustos viarum recessus, tempus multo longius explet: omnium remotissimus lien, quasi νέον ἧπαρ, illud adhuc protrahit, tantò magis quantò fluentis illuc humoris pigritia maior. Prius spatium cum subsiciuâ τοῦ ἀμφημερινοῦ quiete numerò congruit. In tertianis atque quartanis escarum ad portas & lienem traiectionem earumque confectionem, adeóque excrementi generationem ac collectionem, aliquandiu excedit febricitandi intercapedo, propter maiorem vtriusque bilis ad putrescendum ineptitudinem, paucioresque fauillæ reliquias. Humoris putredini accedit motus, cui opponitur alter naturæ sese aduersus hostem colligentis, ac primò calorem cum vniuerso spirituum exercitu intrò reuocantis: vnde extremarum partium frigus; atque etiam, si humor partes sensiles acriùs ferit, totius corporis rigor; sin remissiùs, horror: quæ sunt indiuidua harum febrium numquam lethalium signa, non tamen propria. Deinde vincente calore & quasi è carcere prorumpente, micant arteria febre, æstuatque totum corpus, donec absumptâ vel excretâ materiâ ardor remittatur, desinatque in ἀπυρεξίαν. Quod si nulla in parte & foco remanserit labes, morbus cedit: aliàs exerementi copia qualitasue expultricem sollicitabit, eo planè circuitu, quo ipsum generatur.

PORRO accessionum inæqualitas contingit pro diuersa excrementorum multitudine & conditione. Plura, frigidiora, crassiora, longiores committunt paroxysmos, atque ad impuriorem integritatem desinentes: pauciora, calidiora, tenuiora, vehementiores sed breuiores, conducente ad id non parùm totius corporis constitutione, viriúmque robore. Nonnumquam informes fiunt & erraticæ febres ob humoris focique permutationem, aut victus errorem: Sæpè tamen implexio circuitionum ipsis etiam medicis imponit. Ex antecedentibus & consequentibus vniuscuiusque typus dignoscendus: ex typo focus, ad quem præcipua curatio est dirigenda, aurigantibus non Zodiaci sed morbi signis, vt ipse suo tandem indicio pereat. Insanit tum Democrito quisquis quartanam Saturni filiam aliquo piaculari flagitio profligandam credit: Sacrum nihil habet febris quercera nisi quod ignorantia miratur, ad cuius asylum nimis multi confugiunt. Εὑρεθὲν κρίσιον ἢ ἀνεξεύρετον. Alij specie recti decipiuntur: Errat ille ipse qui vitandorum errorum methodum proponit: præcordia in alimenti commeatu sibi succedunt, non in cordis viciniâ, à quo certe lien non magis dissitus est quàm ventriculus. Grauiùs peccant qui humorum idiotropiæ vel proportioni proximam periodicorum circuituum causam imputant. Scopum attigit qui ad focum attendit, ac subinde viarum ab ore ventriculi interstitia ad amussim anatomicam distinxit: Galeno subscribit quisquis febrillum periodorum rationem hinc repetit. ὅσα μὲν ἐν περιόδοις τινὶ παροξύνεται νοσήματα, μείζων ἐπιδίδοται φθίσεσιν, ἢ τοῖς πεμπτοῖαν, ἢ δεκαμόριον, ἢ γενικῶν, ἢ ἑλκῶν τοιήματα. Ὅσα δὲ ἄνευ περιόδων, οὐδεὶς ἔτι τούτων ὁ πεπονθὼς ἔστι τόπος ἐξαίρετος.

Ergo à focorum situ febrium periodi. 189.

Proponebat Lutetiæ VICTOR PALLV Turonensis, Anno R. S. H. M. DC. XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Pijart.	*M. Nicolaus Regnier.*	*M. Guillelmus Duval.* P. R.
M. Petrus Girardet.	*M. Ioannes de Bourges.*	*M. Ioannes Akakia.* M. R.
M. Antonius Robin.	*M. Ludouicus Robillart.*	*M. Gaspar Brayer.*

F.H.P. BIBLIOTHÈQUE